



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vera Concilii Tridentini Historia**

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

**Pallavicino, Sforza**

**Antverpiae, 1670**

Capvt XVII. Primae Pauli III. curae de Concilio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11642**

Ex Relatio-  
ne Oratoris  
Sortani.

**P**Ræ se tulerat semper Paulus, cum Senator esset, animi propensionem in Concilium, quæ viam strauit supremæ dignitatis, compulitque ad eam ipsi deferendam Cardinales Cæsari ad dictos; atque eandem ille voluntatem in summo fastigio confirmauit. Sed uti mortales prudentiam à simulatione seiungere haud consueuerunt, cum tamen huius vsus summa sit imprudentia, quippe qui diffidentiam alienationemque in aliis excitat, quæ duo præcipue & suasionem retundunt, & rerum, quas apud alios aggredimur, successum interuertunt; ut, inquam, haud solent mortales secernere duas hæc qualitates, quamuis sibi mutuò repugnantes; ita prudentiæ opinio de Paulo callidiores induxit, ad optati Concilij simulationem illi appingendam: & tamen nihil Pontifex diligenter prætermisit, donec rem ipsam perfecit. Quamquam ipse in eodulitas Clementis cunctationem purgauerit, cum ea obstaculam fecerit, quibus hic se retineri prædicabat; dum non semel Paulus visus est non modò incassum indixisse Concilium, sed ob Legatos miserit, quos post diuturnam & otiosam moram opus fuerit reuocare, quod ceteri minimè conuenirent: neque vniquam nichoare illud licuit, nisi eo impetrato, quod decessor uti necessariam conditionem postulauerat, hoc est, inter Cæsarem ac Regem Galiliæ concordiam.

Gemina in re visus est Paulus Clementem prudentiâ superare. Prima fuit; Noluisse quacumque specie, ne meræ quidem defensionis, cum Principibus Christianis fœdus habere. Satis ille intelligebat, quicumque in aliqua lite cum altera parte confederatum se gerit, numquam eundem posse apud alteram partem in quouis alio negotio æqui iudicis fidem obtinere. Altera fuit; Haud male fuisse animatum de Concilij euentu, uti Clemens solebat, qui diu professus est, se illi assentiri, quò votis potius communibus iustis ac iuris quibus obsecundandum erat, quàm quòd sponte suâ opportunum illud arbitraretur. Atque id in causa fuit, ut à plerisque crederetur, voluntas eius Concilium auersata, ut sæpè vsuuenit, iudicium mentis traxisse ad improbandum ceu noxium, quòd vniuersè expectatur, ceu dictamus Ecclesiæ vulneribus salutaris. Eadem ratio noxium Pontificem mouit, ne tamquam arduam Concilij Congregationem ostenderet, ut Clemens quidem affirmabat, ac re ipsa etiam haud

haud sanè infcius, eum, qui rem aliquam auidius efflagitat, abhor-  
rere tamquam ab aduersante voluntati suæ, ab illo qui rei confi-  
ciendæ difficultates in medium affert. Paulus itaque satius habuit,  
vt ab ipsa re obstacula detegerentur, & ipse haberetur ab hominibus  
potius minùs in p̄noscendo sagax, quàm minùs propitius in agèdo.

1534.  
1535.

3 Idcirco in primo Senatu \* 13. Nouembris aperuit Patribus eum-  
dem de Concilio sensum in se, quem in Purpura præ se tulerat; eosq;  
cohortatus est, vt in seipsis, Cuniaq; vniuersa, ad morum emendatio-  
nem exemplo cunctis futuram incumberent; designauitq; ad id post-  
eà, non quidem tres solùm Patres quos \* Suauis nominat, sed Picco-  
lomineum Cardinalium Decanum, Sanseuerinum, Ghinuccium, Si-  
monettam, Cæsium, Christophorum Iacouaccium, tunc *Datarium*,  
eundemq; Episcopum Cossanensem, mox Purpuratum, Episcopum  
Nicosiensem & Aquensem, qui etiam in Romana Rota Duodecim-  
uiru agebat, viros Canonum peritos, in negotiis expertos, & ingenio  
moderatos, quales oportet Censores sint, ne postea censuræ ipsæ  
magis noceant quàm corrigant, magisque sint ad contemplandum  
speciosa, quàm ad agendum accommodata. His verò auctoritatem  
amplissimam in cuncta tribunalia impertit. Antè hanc solemnem  
Censuram designationem, \* diu ea de re deliberatum; ac in Diplo-  
mate exposita rerum capita, quæ opportuniore ad id censebantur,  
eaque in Vaticano consensu proposita, singulorum iudicio priuatim  
expedenda: sed postea in alio \* consensu decretum, ne vulgaretur  
in diploma; quippe quod dum reformari mores iubebat, fatebatur in  
iis, in quibus reformandos curabat, deformationem inesse; adeo-  
que obtreccationes hæreticorum apud vulgus confirmasset, ac præ-  
terea nihil amplius supra Maiorum decreta præstitisset. Proinde  
opus esse potius dari operam vt ea seruarentur, tam in tribunalium  
emendatione, quàm in morum honestate ad exterorum exemplum:  
atque vt huiusmodi decretum re perficeretur, potestatem iam in-  
dicatam tribuit Pontifex Censoribus, quos retulimus. His à Suau-  
seu ignoratis seu dissimulatis, errabunda destituitur eius narratio  
inter falsitatis liuorisque laruas & vmbas.

\* Non 12.  
vt dicit Sua-  
uis, & con-  
stat ex Actis  
Consistor.

\* 23. Augu-  
sti in libro 1.  
Diploma-  
tum Secreto-  
rũ Pauli III.  
in Secretaria  
Diploma-  
tum fol. 53.

\* 19. Aprilis  
anno 1535.  
vt in Actis  
Consistor.

\* 9. Iulij.

4 Mox etiam legauit Pontifex varios Nuntios, quibus apud Prin-  
cipes Concilium promoueret. Egregios etiam viros in Purpurato-  
rum Senatum \* adlegit, inter quos Ioannes Fischerus, Episcopus  
Rossensis: is fuit qui à Latina lingua sumpto vocabulo, *Rossensis* di-  
ctus est, vir doctrinã ac sanctitate præclarus, cui nonnulli volumen  
tribuunt, ab Henrico Rege antea typis editum in Lutherum. Hic  
babeatur id temporis in custodia ob Regis indignationem, cuius

\* 21. Maij  
ann. 1535.

Pars I.

P p

impiis

1535.

impis iussionibus subscribere recusabat, quamquam initio, ne impetum obsistendo stimularer, plus æquo indulserit: cuius indulgentiæ, quamdiu postea vixit, frequenter seipsum incusavit. Neque verò eam illi dignitatem Pontifex detulit, quòd eandem speraret Regi venerationi futuram; vt pro certo ponit Suauis, quòd Paulum derideat, quasi deceptum in eo ac delusum. Quem vtquam spes allexisset huiusmodi obsequij ab eo Rege exhibendi, qui conculcandi Pontificis, eiusq; Hierarchiæ destruendæ studiù ostentabat? Consilium Pontificis fuit, vt auctor ipse Henrici Vitæ scribit: *Carceris iam annis molestiam solari eà nouæ dignitatis accessione; ac* Roffensi, quocumque tandem modo per hoc quamuis mortale præmium, illos annos rependere, quorum iacturam patiebatur pro Summo Pontificatu defendendo: quandoquidem præclis animis, vel ex regula felicitatis naturalis, inest præsumptio, honorem ipsà vità non malè emi. Eadem etiam cum ceteris dignitate donatus Nicolaus Scombergius, Archiepiscopus Capuanus, natione Suetus, qui præcipuis Magistratibus in Ordine Prædicatorum functus, ad eam Sedem euectus fuerat à Clemente, adhibitusq; consiliis grauioribus, æquè ac Gilbertus Episcopus Veronenis, vterque summæ prudentiæ ac pietatis; sed prior in Casarem, alter in Gallorum Regem propensior. Hunc itaque Scombergium Paulus tunc existimauit reconciliandis Germanorum animis idoneum administrum: nec eum impediit vel in remuneranda hominis virtute, vel in credendis negotiis eiusdem fidei, affinitas citra culpam illius contracta cum hoste Sedis Apostolicæ maximè capitali: etenim (si tamen verum asserit Orator Sorianus in suis Commentariis) Scombergij consobrina, quæ iam inter sacras virgines le Deo vouerat, postmodum Luthero nupsit.

Philosophatur Suauis, Pontificem haud vero Concilij emendationisq; studio rem gessisse, propterea quòd confestim inter Vaticanani Patres adsciuit Alexandrum Farnesium, & Guidonem Ascanium Sfortiam, nepotes suos iuniores. Verùm, quòd Paulus amore sui sanguinis nimium exarserit, haud inde extemplò conficitur, non fuisse in reliquum Religionis studiosum; prout liquet ex vniuersa serie eius Principatus. Quemadmodum enim ex vnica honesta actione non rectè deducitur virtutum vniuersitas, ita perperam ex vnico deformi actu omnis virtus excluditur. Eius vero in Paulo vitij nota tam est homini consuetà, vt pro vitij nota non haberetur in quouis alio Principatu, qui supra conditionem hominis non assurgeret. Adèò vt planè Philosophus asseruerit, à Principibus

eum suam progeniem, quæcumque ea sit, ad Principatum non prouehunt, *virtutem exerceri supra modum humane nature.* Proinde qui ob hanc humanæ conditionis labem Pontifices vituperat, inesse Diuinum quiddam in Pontificatu fatetur. Ceterum nonnulli in Paulo ex humana imbecillitate lapsus, quos in Principatus illius initio expandit Suauis, vt infamix afflatus veluti prodromus animos paret secuturis obtrectationibus, quadraginta iam annis præcesserant ipsius electionem, & antequam Purpurâ claresceret, ac per eam temporum licentiam, quorum memoria non sine horrore ac vituperatione repetitur. Postea verò tam decorè, tam integre vitam instituit, vt in omni Pontificatu inter summos habitus fuerit; in tribus Pontificiis Comitibus, inter Solio proximos; in postrema verò electione, sine competitore in eodem Solio collocatus. Quod non nisi præcella virtus consequi potest: non semper quidem concordia omnium voluntate conscenditur; at sine illa numquam. Quicumque rerum publicarum notitiam delibauit, satis nouit, administrationem Pauli extitisse Pontificiæ prudentiæ præclarum exemplar. Ex iis quos Vaticani Patres creauit, quatuor continenti successione per annos duodeviginti primam Sedem tenere; & præter eos primaria illius ætatis capita, virtute ac doctrinâ in supremo Senatu ab eo constituta, vt duo iam laudati Rossensis & Scombergius, vt Contarenus, Sadoletus, Polus, Bembus, Alexander, Moronus, Bellayus, Guidiccionus, Parisius, Truxius, & Carolus Lotharingus. Enimuerò acerbior in Paulum se habuit Suauis, quàm eius tempestatis hæretici; de quibus Vergerius Nuntius pluribus in literis à me inspectis narrat, in existimatione singulari apud eos fuisse tanti Pontificis probitatem ac merita; vt mox constabit, cum planè oportunitas instet enarranti huius Nuntij electionem ac iter.

## C A P V T XVIII.

*Vergerius in Germaniam Nuntius. Eius colloquia cum Principibus tam Catholicis quàm Protestantibus, & cum ipso Lutero. Et quænam responsa reddita.*

**P**ontifex itaque, quò penitiùs Germaniæ statum exploraret, Romam acciuit Petrum Paulum Vergerium Iustinopolitanum, qui apud Regem Romanorū Clementis nomine Nuntium agebat. Ab eo cognouit, vnicum exasperatis Germanorum

Pp 2 rum